



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BAUCHIANUS\*** VICARIATUS APOSTOLICUS  
CONDITUR IN NIGERIAE FINIBUS,

**BAUCHIANUS APPELLANDUS** Laudamus Dominum « quia aperisset gentibus ostium fidei » (*Act 14, 27*) et sollicitam adhibeamus curam continenter ut Dei salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant omnesque nationes. Ideo nullam Nos interponere moram volumus quin cuncta disponamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. Cum quidem in Nigeriana terra Spiritus Sancti afflatu fides catholica constantem demonstret emolumentum, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, iis quoque quorum interest rogatis sententiam, haec statuimus et decernimus: novum Vicariatum Apostolicum condimus *Bauchianum* appellandum, qui districtus civiles comprehendit, ab archidioecesi Iosensi distractos, vulgo Akko, Alkaleri, Balanga, Bauchi, Billirri, Darazo, Dass, Dukku, Gamawa, Gankuwa, Gombe, Itas/Gadau, Jama'are, Kaltungo, Katagum, Misau, Nafada, Nigi, Shiri, Tafawa-Balewa, Toro, Tamaltu/Deba et Zaki, id est territorium regionis civilis Bauchianae. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Carolum Mariam Viganò, Archiepiscopum titulo Ulpianensem et Pro-Nuntium Apostolicum in Nigeria legamus, facta videlicet facultate quemvis alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi; re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Contrariis rebus quibusvis minime officientibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 11, pp. 839-840 © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

---